DE EXANTHEMATIBUS PAPULOSIS DISSERTATIO INAUGURALIS...

Luigi Cervellin

Digitized by Google

DE

EXANTHEMATIBUS PAPULOSIS

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA

UNIVERSITATE PATAVINA

PRO

DOCTORIS MEDICINAE LAUREA

RITE OBTINENDA

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

ALOYSIUS CERVELLIN

TARVISINUS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

1840.

PIA UNIONE
MEDICHIS FARMAC.
IN
VENEZIA

Fanetti

Digitized by Google

190

Digitized by Google

VIRO CELEBERRIMO

MARCO MANDRUZZATO

MEDICINAE DOCTORI

TARVISINO

Opusculum hoc, primum studiorum meorum specimen, tua venia, quamvis scientia, qua es imbutus, indignum, tibi offero; tibi qui primos meos in medicina gressus auspicatus es, meosque verbis conatus et voluntatem aluisti; tibi qui sapientibus institutionibus mentem meam locupletasti; tibi praesertim cujus ope necessitudinem habui et benevolentiam doctoris Medoro sum ade-

Digitized by Google

192

ptus, illius praeclari qui voce et opere amplas in arte medico-chirurgica cognitionum divitias largitus erat; tibi, repetam, offero, et tu illud animi comitate qua ornaris, veluti grati animi atque observantiae mnemosynon accipias. Vale.

Devinctissimus
AUCTOR.

Digitized by Google

Biennale curriculum medicae praxeos apud hoc celebratissimum Patavii Clinicum nonnulla exanthemata tum acuta, tum chronica invisendi ac observandi occasionem mihi cum praebuerit, fructum studiorum meorum mearumque observationum, Professores doctissimi, auspicatissima hac die, vestra jam humanitate et benevolentia fretus vobis exhibeam, dum de exanthematibus papulosis verba facere arbitror.

De exanthematibus papulosis.

Papulae sunt minimae epidermidis eminentiae, sive cuti concolores, sive rubrae, supra areolam leviter inflammatam, acuminatae, rarius humorem aliquem tenentes, quae absque patenti suppuratione communiter in crustas abeunt. Ad papulosa exanthemata referuntur *strophulus, lichen et prurigo.*

De strophulo.

Strophulus, bothor infantium Avicennae, strophulus Willan, Batemann et aliorum, sistit exanthema acutum, papulosum, cutis tenerae proprium, in infantibus praecipue recurrens, quod cum papulis minimis discretis, vel rubris vel albicantibus, maculis punctulisve rubris intermixtis, manifestatur. Papulae istae prurientes, raro dolentes, hic illic vesicularum sero vel pure repletarum formam induunt, seriusque aliquando in desquamationem furfuraceam desinunt.

Digitized by Google

Divisio. Juxta Willanium quinque recensentur strophuli varietates; hae sunt:

1. *Strophulus intertinctus*, plerumque prorumpens primis a nativitate mensibus, sub forma papularum discretarum, coloris rubri, erythematosis maculis intermixtarum ad genas, ad antibrachia, ad manuum dorsum, post unum alterumve septenarium in desquamationem furfuraceam abeuntium.

2. *Strophulus albidus*, papulas albas ad faciem, ad collum, ad pectus, papulis intertincti strophuli permanentiores offerens.

3. *Strophulus confertus*, qui inter quartum et quintum mensem post nativitatem ad faciem, ad dorsum, ad lumbos et ad extremitates inferiores sub forma papularum circularium magis confertarum, coloris profunde rubri, manifestatur. Papulae istae acu punctae humorem serosum pellucidum plorant, cujus humoris absorptione enata, desquamatio inde locum habet.

4. *Strophulus volaticus* octavo mense post nativitatem evolvitur sub forma papularum discretarum, coloris intense rubri, quae hinc illinc plagam cutis tenentes a capite sensim sensimque ad extremitates inferiores migrant, et quarto vel quinto die ab eruptione in desquamationem furfuraceam abeunt.

5. *Strophulus candidus-splendens*-ad finem primi anni aetatis infantium occurrit, papulas maximas, albas, discretas, plana, lucenti et aequali superficie donatas, lumbos, scapulas, et antibrachia obsidentes praeseferens.

Ex descriptione istius exanthematis ipsiusque varietatum hoc a lichene et a prurigine distingui posse patet. Et revera a lichene distingui-

Digitized by Google

tur, cum strophulus aetati infantili plerumque sit proprius, lichen adultis; cum raro intermittat exacerbationesque subeat primus, alter contra periodice compareat; cum strophulus nulla signa post se relinquat, lichen degenerationes, excoriationes morbosque alios cutaneos aliquando post se trahat. A prurigine differt in papularum colore et pruritu, cum albicantiores cutis vel rubrae, parum prurientes observentur papulae in strophulo, cutis concolores, valdeque prurientes in prurigine; haec tandem persaepe chronica, ille acutus semper evadit.

Raro praenuntiatur prodromis strophulus; infantes si sani, quamvis hoc morbo corripiantur, hilares sunt; aliqui vero irrequieti fiunt, evigilant, febrim vomitumque patiuntur, aliaque symptomata gastrica ostendunt.

Causae. Inter idiopathicas, vestimenta rudia ex lana confecta, corporis incuria, spurcities, inter sympathicas, acida primarum viarum, prava lactis conditio, phlogosis gastrico-intestinalis, molimina ante dentitionem enumerantur. A celebr. Raimanno observatum fuit, a strophulo quam maxime corripi infantes a parentibus scrophulosis ortos, delicatulos, cutis tenellae, constitutionis debilioris habitusque cachectici. Frank praeterea cum infantes sanos ac robustos laborare strophulo observaret, causam exanthematis in nimio humorum ad cutem affluxu reponere censuit.

Prognosis. Omni vacat periculo strophulus; si a phlogosi gastrico-intestinali pendeat sub labore dentitionis, haec tantum grave morbi constituit, quod strophulo erumpente omnino cessat; si forte per refrigerium exanthema retro-

Digitized by Google

pellatur, tussim, vomitum, diarrhoeam convulsionesque parit. Brevis est durationis et acuti decursus, ni aliae primis sibi succedant eruptiones.

Cura. Si infans vegetus est et robustus, nulla indiget cura strophulus. Praesente vomitu, ad mentem Willanii, commendantur emetica; sub alvi perturbatione et febri, purgantia et refrigerantia, uti magnesia et nitrum; sed cum haec omnia remedia diarrhoeas vomitusque pertinaciores producerent, postremis hisce temporibus statutum fuit, strophulum tantum externe ope balneorum curari debere, respectu semper habito ad cutis munditiem. In strophulo inveterato utile infusum herbae violae tricoloris Joseph Frank suggerit.

De lichene.

Sub nomine λειχὴν ab Hippocrate describebantur leves cutis asperitates cum pruritu, alias exanthemata, alias tumores quidam pustulosi variae magnitudinis. Lichen vocabant Gallenus, inde Aetius et Attuarius, elementares cutis alterationes. In posterum Celsus et Plinius uti impetiginis synonymon lichenem habebant. Sauvages et Lorry herpetes nonnullos sub tali nomine descripsere. Alibert nostris temporibus descriptionem offert lichenis in prima specie prurigines juxta ejus divisionem sub nomine *le prurigo lichenoide ou furfurant*. Willan vero et Batemann exactam morbi hujusce cognitionem suppeditarunt.

Est igitur lichen exanthema papulosum, non contagiosum, adultis praecipue proprium, quod consistit in papulis rubris, vario tempore erumpentibus, quae vel discretae majorem, vel ag-

Digitized by Google

gregatae solitariam cutis plagam occupant, cum pruritu miti vel tantum titillatione, sub motu corporis, sub aestu, sub lecti tepore, sub potuum spirituosorum usu exasperante, in desquamationem furfuraceam desinentes.

Divisio. Willanius lichenem dividit in *simplicem, circumscriptum, pilarem, agrium, lividum* et *tropicum*, quibus Batemannus addidit *urticatum*, qui, juxta nonnullos, uti urticariae species seu varietas habetur.

1. *Lichen simplex* consistit in papulis rubris, solitariis, dispersis per majus cutis spatium, prius in facie, ad truncum et extremitates raro erumpentibus, per unam alteramve hebdomadam duraturis, aliquando diutius, formicationis persaepe sensu adsociatis.

Differt hic a prurigine, nam lichen simplex papulas ostendit rubras, prurigo cuti concolores, titillationis sensu illę sociatur, haec pruritu molesto. Differt quoque a scabie, quia forma lichenis papularis est, scabiei vesicularis, lichen diversas omnino partes corporis a psora occupatas tenet, lichen non est contagiosus, contagiosa scabies, maxime haec prurit parum ille, sulphur demum ad scabiei sanationem remedium tam notae efficaciae, in lichene aut nullo, aut exiguo adhibetur emolumento.

2. *Lichen pilaris* a simplici non differt nisi sede, cum bulbum hic teneat pilorum. Species haec per menses et annum etiam perdurat.

3. *Lichen circumscriptus* consistit in paucis papulis, limitatis, irregulariter circularibus, aggregatis solitario cutis loco, ad faciem, mentum, in vola manuum, in brachiis et ad genua evolventibus. Papulae hae disparent, sed crebro

Digitized by Google

rursus in scenam prodeunt, quapropter diuturnum decursum celebrant, tandem in desquamationem furfuraceam migrant. Species haec valde est rebellis, et, uti praecedentes, psoriasim aliquando parit.

4. *Lichen agrius*, a graecis et latinis scriptoribus descriptus, modificationem herpetis squamosi humidi Alibertii constituens, gradu ab aliis differt, nam hic ferus, molestus valde, et insigniter prurit. Consistit in papulis rubris, inflammatis, areola circumdatis rubra, confertis, ardenti pruritu molestis, ob quem aegri invitantur ad scalptum, sub quo ploratur humor liquido-serosus, guttula sanguinea mixtus. Octo vel decem septenaria durat, curis rebellis summopere, praecipue si senem corripit, aliquando in impetiginem transit, vel complicatur cum scabie, cum impetigine, cum eczemate, cum quibus confundi minime potest, ubi formam papularem constituentem lichenis consideremus, prae formis aliorum, quae sistunt vesiculares et pustulosae.

5. *Lichen lividus* papulas ostendit lividas, petechiis non raro admixtas, in extremitatibus inferioribus occurrentes, per plures hebdomadas duraturas.

6. *Lichen tropicus* occurrit in tropicis regionibus, a Bronthio peculiariter descriptus, dum pertractat *De medicina Indorum*. Comparet ipse sub forma papularum rubrarum, quae totum fere corporis tegumentum tenent, cum ardenti pruritu et scalptus desiderio, post quem, cum cutis laceratio contingat, frequenter ulcera remanent. Sub aestivo calore plerumque manifestatur, et si forte intropellitur tempore autumnali, fluxus mucosi, haemorrhagiae, febres recurrunt.

Digitized by Google

7. *Lichen urticatus* eminentiis formae irregularis, inflammatis, pulicum aut cimicum morsibus similibus conflatur, supra quas non sine prudore papulae elevantur, quae post unam alteramve hebdomadam in desquamationem abeunt. In genere prodromos habet lichen febriles, qui disparent ipso comparente.

Causae. Individua cujuscumque temperamenti, aetatis, constitutionis hoc exanthema petit; adulti vero prae infantibus, feminae prae hominibus disponi videntur; hae vero sub turbis menstruorum, sub graviditate praesertim, et in annis climactericis; disponuntur praeterea qui bene vescuntur, potibus spirituosis abutuntur, nec non arthritici. Neglectus curae cutis, tenera ipsius fabrica et aestus valdopere lichenis evolutioni favent.

Prognosis. Salutaris aliquando evadit, sicut in febribus acutis, doloribus capitis et ventris, juxta Willanii et Batemanni observationes; ceterum nil aliud addam circa prognosim, dum ex descriptione varietatum singularum facile desumi possit.

Cura. Si mitis sit eruptio, recens, absque complicationibus, potibus tantum balneisque emollientibus erit tractanda; si vero pervicax fit, acida mineralia et vegetabilia in usum trahantur. Lichen extensus, inveteratus, cutis intimum textum occupans, praeparata sulphuris expostulat. In lichene agrio cum ipse sit recens, individuum juvenile, temperamento sanguineo praeditum prehendat, commendantur venae sectiones et hirudinum circa exanthematis sedem adplicatio, nec non lotiones et balnea emollientia; e contra si diu duret, in aegro senili, labo-

Digitized by Google

ribus vel morbis fracto, interne tonica et acida mineralia maxima utilitate praedicantur; externe unguenti ex calomelano et camphora parati usus. Cum vero et haec effectu irrita evadant, ad usum demum praeparationum arsenicalium est confugiendum; ex quibus in actione preaeminent solutiones Fowler et Pearson.

De prurigine.

Hippocrates fortasse mentionem de hoc exanthemate facit, cum de senum morbis loquens, pruritum recenset, aut alibi, de epidemiis pertractans, hominem a pruritu tota in corporis superficie vexatum recordatur. Primus fuit Plinius qui distinctionem inter prurigineni et scabiem obtulit. De ipsa in posterum loquuti sunt Avicenna, Mercurialis, Sennertus, Hafferenfer et Lorry, postremis temporibus Willan, Batemann, Alibert, Rayer et alii. Est prurigo exanthema quod papulis conflatur plerumque cuti concoloribus, complanatis, majorem vel minorem plagam superficiei cutis tenentibus, visu difficillime detegendis, per sensationom vero aegri, patentibus, quae sita est in insigni pruritu, ex quo ad scalptum ipse invitatur, sub quo levamen et voluptatis sensum experitur.

Divisio. Nonnulli, uti Hafferenfer, in *universalem* et *localem* prurigineni diviserunt; universalem, quae majus vel totum superficiei cutis spatium occupat, compellantes; localem, quae certis in cute limitibus circumscribitur. Alii in posterum respectu habito ad morbi vim in *mitem* et *ferocem* distinxere, alii ad aetatis differentias, in quibus prurigo evolvitur, attendentes, in *juvenilem* et *senilem* diviserunt. Hic nos perpendentes et gradum morbi et aetatem quam

Digitized by Google

praediligit, ad mentem Willanii et Rayer distinguimus tres prurigininis species; *mitem*, *formicantem* et *senilem*, praemissa ceterum divisione fundamentali pruriginis universalis et localis.

Ad pruriginem universalem supranotatas tres species refero. Ad localem pruriginem *podicis*, *scroti*, *pudendi muliebris* et *plantarem*.

Mitis in infantibus et juvenibus praecipue occurrit, viros prae feminis diligit, plus minusve temporis durat; consistit in papulis cuti concoloribus, mollibus, latis magis et acuminatis illis lichenis, scapulas, sterni regionem, lumbos, ventrem, brachia et coxas obsidentibus, cum pruritu miti, qui exasperatur per lecti teporem, motum, calorem externum; quare scalpent aegri, et ex ruptis sub scalptu papulis, guttula sanguinis plorata, exsurgunt inde crustae brunescentes, quae in desquamationem furfuraceam abeunt.

Formicans priori gravior est, adultos praecipue plectit, easdemque regiones a miti occupatas tenet. Papulae magis sunt latae et obscurae, magisque pruriunt, et formicationis sensum dant, nec non ardoris, ob quem aegri quodam furore scalpent, et tegumenta unguibus dilaniant. Diutius durat quam mitis, ceterum intermittit.

Senilis non differt a formicante nisi gradu, et quia in senibus occurrit. Istius exanthematis prodromi non semper adsunt; praenuntiatur tamen aliquando cephalaea, aurium susurro, virium prostratione, magna laxitudine, epigastralgia et vomitu. Complicatur persaepe cum aliis morbis cutaneis, frequenter cum impetigine et scabie, a qua sequentibus argumentis probe distinguitur. Forma constituens in prurigine est papularis, vesicularis in scabie, papulae pruri-

Digitized by Google

ginis sunt complanatae, vesiculae scabiei acuminatae et in summo cacumine pellucidae, humoremque pellucidum continent; longe molestior evadit pruritus in prurigine, continuus, ardens, de nocte major, pruritus scabiei minor, de die intermittit, calore vero augetur; papulae pruriginis elevantur in illis regionibus cutis, sub quibus partes extensioni inservientes locantur, vesiculae scabiei in articulorum flexuris, et interstitiis digitorum; prurigo est morbus chronicus, qui sponte absque cura evanescere potest, contagiosa non est, et omni vacat periculo; scabies raro chronica ni cura negligatur, contagiosa est, et contagio suscipitur, quamvis etiam per se tum et quando evolvi possit, et praesertim si retropellatur, periculosa evadit.

Quoad *pruriginem localem*.

Prurigo podicis enuntiatur cum papulis illis formicantis pruriginis similibus, cuti concoloribus, nonnullis crustis intersectis et psydraciae vesiculis non raro admixtis, circa ani orificium erumpentibus, diu durantibus.

Prurigo scroti a praecedenti non differt nisi a situ quem tenet; scrotum enim, penem et pubem occupat.

Prurigo pudendi muliebris. Montem veneris papulae superioribus non dissimiles obvestiunt, et ipsam internam vulvae superficiem. Huic sociae sunt persaepe phlegmasiae uteri, vaginae atque leucorrhoea. Lorry de intertrigine loquens, circa hasce genitalium adfectiones ita sentiebat. *At pruritus illi tum in maribus, tum in feminis jungitur ardor inexplebilis*.

Prurigo plantaris. Describebatur ab Alibert haec varietas, cum hominem 50 annorum, bona

Digitized by Google

robustaque constitutione praeditum, prehensum fuisse dicit, sed papularum descriptionem praetermittit.

Causae. Qui eam hereditariam dicunt, illam a parentibus scrophulosis aut syphiliticis in prolem transmissam repetunt, utpote illi qui cute alba et delicata instruuntur. Prurigo nulli parcit aetati, pauperes prae divitibus, haemorrhoidarii, arthritici, feminae per turbas menstruorum annosque climactericos disponuntur: Ipsius evolutioni favent potus spirituosi, substantiae aromaticae, piscium et ciborum sale abundantium abusus, tandem crapula.

Pruriginem podicis facile promovent hemorrhoidarii tumores, ascarides lumbricoides, sodomia, corpora peregrina etc, ad scrotum syphilis, equitatio tempore aestivo, ad muliebria graviditas, varices, menstrua, condylomata.

Prognosis. Nullius est periculi prurigo. In infantibus et in juvenibus mitis plerumque est, aliquando eccritica, sed saepe iterum jam fugata in scenam prodit; in senibus e contra gravior est, curis valde rebellis, fere omni anno vemo tempore recurrens, et turbis digestionis et assimilationis non raro consociatur.

Cura. Therapia quae hic occurrit, externa alia, alia interna est facienda. Quoad externam commendantur balnea simplicia, speciatim ubi agatur de prurigine miti, veluti illa quae cutis superficiem e sordibus purgant, transpirationem fovent cutaneam et prudorem sensim sensimque moderant. Si vero mitis huicce curae restiterat, vel formicans prurigo vel senilis erit tractanda, tunc usuveniunt balnea alcalina, saponata, sulphurica; quod si haec etiam irrita evadant, un-

Digitized by Google

204

guenta ex mercurio et sulphure, vel ex hydroclorate lixivae confecta in auxilium vocari solent. Quoad internam, remotis causis, quae morbum sustentare valent, ad primarum viarum sordes detergendas, purgantibus salinis, uti carbonate magnesiae, cura incipitur, lac in posterum propinatur, et usus praeparatorum antimonialium, ex quibus non satis laudatur aethiops antimonialis. Cura hac, quam hic exposui, bono cum effectu prof. Lippich utitur in prurigine senili; mitis vero sola quiete et parco victu, uti egomet in pluribus observavi casibus, sanabatur.

THESES DEFENDENDAE

1. Non datur venenum in manu medici.
2. Sola uroscopia in morbis dignoscendis et curandis prorsus damnanda.
3. Dosis medicamentorum vires mutat.
4. Ignota aliquando in humano organismo corporum extraneorum praesentia.
4. In acutis morbis magis sunt fallaces salutis mortisque notae.
6. Omnibus cystotomiae methodis bilateralis Dupuytren, ceteris paribus, praeferenda.
7. Bilis secretio ex portarum vena omnino derivanda.
8. Ventriculus sub vomitu et activus et passivus.
9. Tubercula pulmonum saepius inflammationis causa, quam effectus.

939114

Digitized by Google

Digitized by Google